

tionis differentia diversa ipsis nomina procreavit; paulo post addit: *Ex his verbis, quod genitus non sit, quod genitus, quod procedat, hoc effectum est, ut alius Pater, alius Filius, alius Spiritus sanctus appelletur; atque ita incon-fusa trium Personarum distinctio in una divinitatis natura conservetur.* CYRILL. ALEX. Thesaur. L. 7. (Opp. t. 3. p. 60. C.): *Est Pater in sua proprie-tate, et est Filius in peculiari sua proprietate; hanc solam a Patre differentiam habens, quod Pater quidem per se est, neque est Filius; Filius etiam per se est, neque est Pater; sed hac quidem sola differentia a Patre distinctus.* Et ibid. L. 11. (p. 83. c.): *Simplex itaque et non composita Deitatis natura, nunquam in dualitatem Patris et Filii secta fuisset, nisi prius aliqua differentia fuisse visa esset, non secundum essentiam, sed extrinsecus (i. e. extra essentiam) intellecta, per quam utriusque Persona inducitur, peculiari quidem hypostasi constans, sed in unitatem Divinitatis per naturalem identitatem constricta.* AUG. L. 11. de civit. Dei c. 10. n. 1. *Ideo simplex dicitur (Deus) quoniam quod habet, hoc est, excepto quod relative quæque Persona ad alteram dicitur.* His consentiunt FULGENT. L. de Trin. c. 2. et DAMASCEN. L. 1. de fid. c. 11. (al. 8. opp. t. 1. p. 139. D. edit. Venet.) cum aliis. Accedit quod, sicut de facto, præter oppositionem relativam originis, in Divinis non datur distinctio, aut ex limitatione, aut ex repugnantia disparata; sic nec in hypothesi illa exinde distinctio proveniret.

Primum constat ex infinitudine prædicatorum divinatorum: secundum autem colligitur: 1º. quia in illa hypothesi, sicut *disparate* non repugnarent Paternitas et Spiratio activa, sed eadem Persona generaret et spiraret; sic etiam *disparate* non repugnarent Filiatio et Spiratio passiva, et una persona generaretur et spiraretur, Filiusque foret indistinctus a Spiritu sancto. 2º. Quia non magis tum opponeretur Filiatio et Spiratio passiva, quam nunc opponitur Paternitas et Filiatio ex una, et Spiratio activa ex altera parte: adeoque sicut spirator nunc non est persona distincta a Patre et Filio, sic Spiritus sanctus tunc non foret persona a Filio distincta. 3º. In systemate Græcorum Filiatio et Spiratio passiva haberent se ordinate; sicut intellectus et voluntas, intellectio et volitio in Divinis: haberent etiam se ut termini pertinentes sequela, ita ut valeat illatio: Producitur Spiritus sanctus, ergo generatur Filius; sicut valet illa: Pater amat, ergo intelligit: quin haberent se ut mutuo convertibiles, ita ut valeat: Generatur Verbum, ergo producitur Spiritus sanctus; quia voluntas et intellectus divinus sunt realiter idem: uterque etiam necessario ad intra operatur: et principium non tantum quod, sed etiam quo formale proximum, scilicet Paternitas et Spiratio activa, realiter quoque identificatur; ergo et Filius et Spiritus sanctus non forent disparata; ergo nulla inter Filium et Spiritum sanctum potest intercedere distinctio, nisi quæ sit aut formaliter aut radicaliter oppositio relativa originis.

Atque hac ratione oportet explicare locutiones quasdam Patrum, qui Filium dicunt distingui a Spiritu sancto, vel quia prior procedit *ex utero*, posterior *ex ore*; ut ait ATHAN. Dial. 1. cont. Anom. n. 6. vel quia alter exit *quomodo natus*, alter *quomodo datus*; ut AUG. L. 5. de Trin. c. 14. scribit: vel quia ille procedit *generationis modo*, hic *modo processionis*; ut NAZIANZ. Or. 39. n. 12. loquitur: vel quia is *filialiter* (γεννητικός), iste *processibiliter* (ἐκπορευτικός) prodit; ut DAMASCEN. L. 1. de fid. c. 9. (al. 8. opp. t. 1. p. 135. B.) et seqq.

repetit; cui consentit ANSELMUS, L. de Process. Spiritus sancti c. 2. in fine. Harum enim processionum differentiarum non asseruntur, nisi ut fundatæ in relativa oppositione, sine qua *uterus* ab ore, *nativitas* a datione, *generatio* a processione non distingueretur, æque ac intellectus et voluntas, intellectio et volitio non cognoscuntur distincta, si distincta personalitas ac persona ab iisdem præscindantur.

Quod ANSELMUM attinet, eadem illi aptari responsio potest. Præterea vero, ubi opusc. de Process. Spiritus sancti cap. 1. et tribus seqq. Filium nascendo et Spiritum sanctum procedendo distinguit; non loquitur ex sententia propria, sed tantum explicat, qua ratione Græci, negantes processionem ex Filio, defendant distinctionem personarum; ideoque sub finem c. 2. ait: *Ut interim aliam causam dicam, quoniam nondum constat quod Spiritus sanctus de illo sit et procedat etc.*; ibidem tamen supponit hunc ipsum explicandi modum fundari in oppositione relativa: unde eod. cap. 2. addit: *Hæc sola causa pluralitatis est in Deo, ut Pater, et Filius, et Spiritus sanctus dici non possint de se invicem, sed alii sint ab invicem: quia prædictis duobus modis est Deus de Deo, quod totum potest dici relatio.* Et c. 3. *Supradicta relationis oppositio, quæ ex eo nascitur, quia supra dictis modis Deus de Deo est, prohibet Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum de se invicem dici, et propria singulorum aliis attribui.*

Denique in capp. postremis proponit suam sententiam, et repetit axioma, quod ex ejus L. de Incarn. supra retulimus: *In Divinis omnia sunt unum, ubi non obviat relationis oppositio.* Ad illa quæ ex ratione obmoveri solent advertendum est, non solum Spiritum sanctum, sed et Filium haud fore in ea hypothesi eundem qui nunc est; cum careret spiratione activa: item nec habiturum perfectam Patris similitudinem, ex eadem ratione: denique nec Filii constitutum fore aliud a Spiritu sancto, nec ejus productionem haberi prius, nisi secundum solam cogitationem nostram; nullo autem modo realiter et secundum originem. De quibus et aliis vide, si lubet, Theologos utriusque Scholæ.

QUÆRES: Quo jure ac tempore particula Filioque addita fuerit Symbolo Constantinopolitano?

408. Nota. Partem questionis primam per priores Concilii Florentini Sessiones, acri et diuturna disputatione versarunt Græci et Latini; illi quidem non negantes Symbolum explicari posse, sed contententes tamen, quamcumque additionem, et hanc etiam *Filioque* inseri Symbolo non potuisse ob vetitum Conciliorum; atque causam schismatis inde fuisse datam utrique Ecclesiæ: hi vero pugnantes, additionem licite meritoque fieri potuisse, per id scilicet neutiquam violata Conciliorum lege, neque data schismati occasione, quod Græci nimirum aliunde moti excitarint.

Secundam partem inter Theologos ambigam fecerunt diversæ Auctorum opiniones. Nam Calceas et Genebrardus auctorem hujus additionis nominant DAMASUM; nullum tamen pro hac sententia extat documentum authenticum; cum symbolum hujus Papæ inter opera S. HIERONYMI relatum, tanquam pseudonymum et supposititium rejiciatur ab eruditis plerisque. D. THOMAS p. 1. q. 36. a. 2. ad 2. indicat additionem factam in magna Occidentalium

Synodo; quam tamen cum nec nomine, nec loco, nec tempore determinaverit, nihil certi nos docuit. *Julianus* Cardinalis Sess. 3. et *Andreas Colossensis* Sess. 7. Conc. Florentini contendebant insertam symbolo fuisse illam particulam jussu Concilii generalis septimi. Atque hanc in rem allatus est Codex vetustissimus hujus Concilii, symbolum cum adjecta voce continens: provocatur etiam ad antiquissimum Concilii textum græcum, et versionem latinam ab Anastasio Bibliothecario ad *Joannem VIII.* missam; nec non ad Capitulare adversus Synodum Nicænam missum a *Carolo M.* per Engilbertum; ex quo constat, *Tarasium* ab adversario fuisse reprehensum, quod secundum Nicæni symboli fidem non dixerit Spiritum sanctum a Patre Filioque procedere.

Verum nec hæc sententia satis firma apparet plerisque; cum incredibile videatur, contra authenticam adeo, obviam ac recentem veritatem Græcos paulo post et deinceps, ob illam additionem, tot criminationes et calumnias in Latinos conjicere potuisse: præsertim cum nec græcus Conciliorum codex, nec Anastasii versio, a curiosis consultata, additionem illam exhibeant: Capitulare autem *Caroli* videatur sermonem *ATHANASI* in Act. 4. Conc. Nicæni II. lectum pro Symbolo accepisse; in quo sermone tamen, æque parum ac in Symbolo, vox illa addita reperitur. Unde vehemens suppositionis suspicio aspergitur Codici quantumvis vetusto per Cardinalem prolato; quæ plurimum augetur ex facto *Leonis III.*, quem etiam a Concilio Aquisgranensi sollicitatum, ut Symbolo insertam *Filii* vocem probaret cantarique vellet, id non tantum constanter recusasse, sed Symbolum etiam illa additione carens, tabulis argenteis inscriptum, in Confessione tum *S. Petri*, tum *S. Pauli* collocasse, historia prodit. Hoc ipsum autem factum priores quoque universim opiniones refutat.

Quid nos cum communiore jam, sive certum, sive probabile in *Facti* controversia opinemur, expedita breviter *Juris* quæstione, distinguendo inter Ecclesias, et discernendo additionem ab usurpatione, paucis exponemus.

409. Dico I. Particula *Filioque* jure optimo addita fuit Symbolo.

Patet non solum ex decantato sub Missam solemnem per utriusque Nationis Patres Concilii Lugdunensis Symbolo hac additione aucto; sed etiam ex Concilii Florent. definitione, seu Decreto Unionis inter Græcos et Latinos, ubi (Lab. t. 13. p. 515. A.) dicitur: *Definimus insuper explanationem verborum illorum, Filioque, veritatis declarandæ gratia, et imminente tunc necessitate, licite ac rationabiliter Symbolo fuisse appositam.* Præterea vero

*Prob.* Ut jure optimo fiat additio, ea debet esse explicatio veritatis jam latentis in eo, cui adjicitur; debet proficisci ex *justa causa*, maxime ex *necessitate*; debet fieri ab auctoritate legitima: hæc enim plane requiruntur, sed et sufficiunt. Requiritur quidem; ne ex defectu *primi*, dogma inseratur aut veritati contrarium, aut alienum, aut impertinens: ne item ex defectu *secundi* promiscue aut temere inter fidei articulos primarios referatur veritas etiam qualiscumque: ne denique cuilibet fiat facultas pro libitu mutandi, vel ampliandi formulam fidei. Eadem vero sufficere, ex eo persuadetur; quia nec ex parte rei, nec ex parte modi, nec ex parte causæ, plus aliquid desiderari merito potest. Sed facta in Symbolo additio vocis *Filioque* triplici hac conditione gaudet.

Nam 1<sup>o</sup>. hac additione explicatur veritas fidei de processione Spiritus sancti, ut ex præced. art. patet: et dogma hoc jam latebat in his Symboli verbis: *Qui ex Patre procedit*, a Concilio Constantinopolitano additis, ad ostendendam processionem, non solum ex Filio, sed etiam ex Patre. 2<sup>o</sup>. Occasionem præbuit error tum latius grassans adversus processionem Spiritus sancti ex Filio: *causam justam* ostendit cura Ecclesiæ commissa servandi illæsam fidem, et profligandi hæresin: necessitatem imposuit abusus Symboli, cujus scilicet silentium de processione ex Filio urgebatur tanquam argumentum fortissimum contra catholicam veritatem. 3<sup>o</sup>. Intervenit *Ecclesiæ auctoritas*, quæ tanquam columna et firmamentum veritatis, depositi custos fidelis, et magistra fidei audienda, omnino legitime potest sive in doctrinæ summam redigere, sive huic constitutæ addere articulos; ad quorum notitiam et professionem instituuntur Catechumeni, probentur Catholici, et discernantur hæretici: qui scopus est Symbolorum.

Horum *primum*, jure a nemine negato, fecerunt Apostoli, tanquam Ecclesiæ Pastores, in brevi qua utimur fidei formula: *secundum* congregati Ecclesiæ Patres in Concilio Nicæno I., præter alia, addito *consubstantialis* vocabulo, et in Concilio Constantinopolitano I. adjecto de Divinitate Spiritus sancti articulo, præstiterunt.

*Conf.* Nullum Ecclesiæ vetitum aut factum obstat, quominus Symbolo potuerit addi vox *Filioque*; cum, quæ in contrarium afferuntur, agant duntaxat de additione, cui una vel altera conditionum deest, quas ad legitimam additionem desideravimus; ut ex numeris duobus, ea omnia complexis, continuo patebit. Nam

I. Concilium EPHESINUM 1<sup>o</sup>. dum Act. 6. edidit hanc definitionem (Lab. t. 3. p. 690. A.): *Alteram fidem nemini liceat proferre, aut conscribere, aut componere, præter definitam a sanctis Patribus, qui in Nicæa cum Spiritu sancto congregati fuerunt*; prohibuit duntaxat additionem contrariam, seu falsi dogmatis, non autem consentaneam fidei, et veritatis ejusdem declarationem, vel explicationem. *Primum* dignoscitur ex occasione hujus definitionis, quam dedit Charisius, exhibens Ephesinis Patribus tum symbolum a se factum, non quidem Nicænum aut Constantinopolitanum, sed pium tamen et orthodoxum; tum *symbolum Nestorianum*, seu fidei formulam ab Anastasio et Photio Nestorianis editam. Hanc enim, intacto Charisii symbolo, damnavit Synodus, adjecto deinceps decreto recitato. *Secundum* elucet; quoniam, licet hic caveatur, ne altera fides, quam Nicæna proferatur, non rejicitur tamen professio Charisii; multo autem minus *symbolum Constantinopolitanum* Nicæno superadditum; quod tamen fieri oportuisset, si additio quæcumque, etiam fidei consona ac necessaria, foret Ecclesiæ illicita.

2<sup>o</sup>. Idem Concilium dum ibidem addit: *Qui vero ausi fuerint aut componere fidem alteram, aut proferre....; hos quidem, si sunt Episcopi, aut Clerici, alienos esse Episcopos ab Episcopatu, et Clericos a Clericatu decrevit: si vero Laici fuerint, anathemati subjici*: vel rursus intelligitur de additione contraria, et falsæ doctrinæ: vel si accipiatur etiam de veri dogmatis expositoria, ad eam pertinet, quæ fit sine auctoritate legitima a privatis; non ad factam ab Ecclesia ipsa additionem. Colligitur hoc tum ex auctoribus symbolorum oblatorum, inter quos vel ipse orthodoxus, scilicet Charisius, erat duntaxat presbyter: tum ex recensione personarum in decreto vel

privatarum, vel solitarum : tum ex poena, quæ singulares duntaxat, non Ecclesiam universam afficere potest.

3°. Quod itidem ab eodem Concilio vox *Deipara* non fuerit inserta symbolo, factum est; quia Patribus non apparebat necessitas, propterea quod ex divinitate Christi et hujus nativitate ex Beatissima, in symbolo Constantinopolitano diserte enuntiata, sat constaret Mariam esse *Deiparam*. Poterat etiam Patribus hujus vocis adscriptio videri periculosa : quoniam, ubi Nestorius B. Virginem appellans *Christiparam* negabat Dei matrem, Eutyches eam dicens *Deiparam* volebat ejus quoque secundum divinitatem esse matrem, naturam scilicet divinam cum humana confundens.

4°. Ex datis responsionibus una quadrat in CYRILLI ALEX., qui Ephesino intererat, epistolam, sive quam ad Joannem Antiochenum, sive quam ad Acacium Melitensem dederat. Dum enim sensum Decreti nuper relati repetit, utrobique agit contra symbolum Anastasii et Photii Nestorianorum. Præterea vero, quamvis Joannes Antiochenus cum Orientalibus ampliorem fidei confessionem symbolo, quod ipsi etiam intactum volebant, adjunxissent; CYRILLUS tamen in ep. cit. hanc ipsam mire laudat et commendat.

II. Similiter 1°. in CONC. CHALCEDONENSI Act. 2., ubi Judices postulabant fieri expositionem fidei, responderunt Patres (Lab. t. 2. p. 340. A.) : *In scriptis expositionem non facimus. Regula est quæ prædicat sufficere quæ sunt exposita. Regula vult aliam expositionem non fieri. Ea quæ sunt Patrum teneantur. Et paulo supra (ib. p. 337. D.) Clamaverunt Episcopi : Expositionem alteram nullus facit, neque tentamus, neque audemus exponere. Docuerunt enim Patres, et in scriptis custodiuntur, quæ ab iis sunt exposita, et circa ea dicere non possumus.* Sed neque ista obsunt. Non enim hic agitur de symbolo, sed expositione fidei; ut verba diserte indicant : et quod recusarunt Patres Act. 2°, fecerunt deinceps in 5°. ubi concinnatam quidem fidei definitionem primam repudiarunt; in aliam tamen longissimam deinde convenerunt, quæ præter symbola antiqua, epistolas CYRILLI ac LEONIS, nec non expositionem controversi tum dogmatis complectebatur : quin et tergiversatio prior præmaturam tantum Judicum postulationem rejiciebat, negatio autem posterior, tum dissidium Episcoporum de formula prima, tum consensum de retinenda formula secunda indicabat.

Cæterum facultatem Ecclesiæ circa symbolum assertam satis contestata est hæc Synodus. Cum enim Act. 1°. legerent gesta pseudo-synodi Ephesinæ, quibus Flaviani symbolum contra Eutychetis hæresin additamento auctum, a Dioscoro, velut contrarium Nicænæ prohibitioni, damnatum narrabatur; dixerunt Patres omnes : *Anathema Dioscoro, quia male judicavit.* Patres item in allocutione ad Imperatorem ita disserunt : *Si omnes contenti essent fidei instituto, et pietatis sententiam nulla innovatione turbarent; deceret Ecclesiæ filios nihil amplius excogitare, quam symbolo constat esse determinatum. Sed, quia multi a recta linea per anfractus erroris exorbitant, necesse nobis est, veritatis eos inventionem convertere; commenta quoque eorum devia salutaribus adjectionibus refutare; non ut novum ad pietatem, quasi fides desit, semper aliquid exquirentes, sed ut contra ea, quæ ab illis innovata sunt, excogitantes, quæ salubria judicantur.*

2°. Haud absimilis prohibitio vel addendi, vel adimendi aliquid fit in ep. VIGILII ad Eutychem Pat. Constantinopolitanum, et in ep. AGATHONIS ad

Synodum generalem VI. nec non in ipso Nicæno secundo; sed ubique tantum excludendo contrarium, et a fide alienum, vel minus necessarium ob veritatem alias jam abunde declaratam. Hinc VIGILIUS etiam provocat ad symbolum, quod articulum de resurrectione palam proponat : ipsa AGATHONIS epistola referebat symbolum, cui plura inserta fuerant, in antiquis formulis non reperienda. Synodus denique VII. subnectit symbolo varias fidei expositiones, præsertim circa Iconomachos.

3°. Ad quærelas demum *Græcorum*, quod se non vocatis additio illa facta fuerit, responderunt in Concilio Flor. Latini : imprimis non constare, Græcos haud esse vocatos : dein Ecclesiam Romanam nulla adstringi lege ad illos vocandos : demum Latinis et numerum et dignitatem suffecisse ad illam additionem faciendam.

410. *Dico II.* Certum est particulam *Filioque* fuisse additam vel symbolo, vel professioni fidei in Ecclesiis *Hispaniarum* jam a seculo quinto et deinceps; indeque ad *Galliarum* et *Germaniæ* Ecclesias sub finem seculi octavi transisse : Probabile autem est, in Ecclesia *Romana* hanc additionem esse receptam post medium seculi noni; obtinuisse tandem usum publicum inchoato seculo undecimo.

*Prob. 1°. p.* Symbolum Constantinopolitanum cum particula *Filioque* decantatum est a Concilio Hispanico seu Gallaciensi an. 447. (Lab. t. 3. p. 1463. et t. 2. p. 1227.), et Toletano III. an. 589. (Lab. t. 5. p. 1000.) Expositioni fidei autem inserta fuit eadem particulam a Toletano IV. an. 633. (ib. p. 1703.) Symbolo pariter ac professioni fidei addita eadem vox legitur a Toletano VI. anno 638. (ib. p. 1741.), quem morem deinceps secuta sunt Concilia itidem Toletana VIII. XII. XIII. et XV.

*Prob. 2°. p.* Synodus Foro-Julienensis an. 791. et Francofordiensis an. 794. definierunt dogma de processione Spiritus sancti ex utroque; in quarum prima sic dicitur (Lab. t. 7. p. 994. D.) : *Sed et postmodum, propter eos videlicet hæreticos, qui susurrant Spiritum sanctum solius esse Patris, et a solo Patre procedere, additum est : Qui ex Patre Filioque procedit.* Aquisgranensis autem Synodus, Patrum nemine contradicente, an. 809. Legatos misit ad Leonem III. Pontificem, postulatuos, tum ut probaretur additio symbolo facta; tum ut Symbolum cum hoc adjuncto Romæ quoque cantaretur inter missarum solemniam.

*Prob. 3°. p.* Nicolaum I., qui an. 858. Petri cathedram conscendit, recepisse in Symbolum particulam *Filioque*, suadet 1°. expostulatio Photii contra hunc Pontificem scribentis : *Sacrum etiam Symbolum, cui synodica omnia æcumenica suffragia inexpugnabile robur addiderunt, adulterinis sermonibus falsare aggressi sunt, Spiritum sanctum non ex Patre solum, sed etiam ex Filio procedere, vanissime prædicantes.* 2°. Refutatio Græcorum a Ratramno Corbejensi, qui sub an. 867. edito contra Græcos Opere L. 2. c. 2. inquit : *Sed neque Episcoporum centum quinquaginta tanta fuit auctoritas, ut, quod illis licuit, non liceat tam Romano Pontifici, quam universis Christi Ecclesiis.* 3°. Consensio eam in rem Caleæ L. de Process. Spiritus sancti, Divi Antonini in Chron. Par. 3. Tit. 22. c. 3., Pitheci in Opusc. de Spiritu sancto, et nunc Recentiorum plurium.

*Prob. 4°. p.* Impetravit hoc S. Henricus Imperator a Benedicto VIII. Pon-

tificatum an. 1012. adepto. Cum enim Romani Symbolum in Missa cantare non solerent, causati, non sibi, quibus fides nulla aliquando hæreseos labe infecta fuerit, sed illis necessarium esse illud Symbolum cantando frequentare, qui aliquando ulla hæresi potuerint maculari: Dominus Imperator, ut Berno Augiensis L. de Ritibus ad missam pertinentibus c. 2. scribere pergit, non antea desiit, quam omnium consensu id Domino Benedicto Apostolico persuasit, ut ad publicam missam illud decantarent.

411. *Obserua.* Quod LEO III. postulatum Aquisgranensis Synodi utrumque abnuerit, amor custodiendæ antiquitatis, et studium servandæ cum Græca Ecclesia pacis fuerat; non autem abhorrentia animi, aut fidei a dogmate. Constat id ex Actis Collationis Legatorum cum Leone, quæ a Smaragdo Abbate seculo nono conscripta sic habent: *Lectis enim a prædictis missis per ordinem testimoniis de processione Spiritus sancti a Patre et Filio, atque a Domino Apostolico diligenter auditis, ait: Ita sentio, ita teneo, cum his Auctoribus et sacræ Scripturæ auctoritatibus. Si quis aliter de hac re sentire vel docere voluerit, defendo; et nisi conversus fuerit, et secundum hunc sensum tenere voluerit, contra sentientem funditus abjicio.* Quod NICOLAUS dein, ac BENEDICTUS aliud fecerint, non fuit variatio doctrinæ, aut neglectus constantiæ; sed indulgentiæ prudentia, et œconomia necessitas. Cum enim ex dictis eadem fuerit omnium Pontificum fides, abstinentia autem professionis a Symbolo non conciliaret Græcos, Latinos etiam irritare posset, ad notam, tum communitatis nimiam, tum pertinaciæ amovendam hoc medio uti oportuit. Quod denique Concilia generalia definiverint, particulam *Filioque* licite ac rationabiliter Symbolo fuisse appositam, permiserint Græcis tamen Symbolum, ommissa ea additione, pro more suo antiquo recitare; horum primum vigilantia erat pro integritate fidei, alterum prudens amor concordie et unitatis: quam alibi scissam feliciter redintegrare, alibi integram perpetuo conservare in sua Ecclesia benignissime velit pacis auctor ac Deus, PATER, FILIUS et SPIRITUS SANCTUS. Amen.

## DE ANGELIS.

Actum hactenus de Deo, prout Unus est in Essentia, et Trinus in Personis; agendum nunc de Deo tanquam auctore creaturarum, quas inter Angeli ex genere suo perfectissimæ sunt. Tradit autem D. THOMAS in Parte 1<sup>a</sup>. Summæ Theol. multa de Angelorum Natura, Intellectu et Voluntate, de Gratia et Gloria bonorum, de Lapsu et Pœna malorum, a q. 50. ad 63. De Potentiis ad actus externos, de bonorum Custodia et malorum Infestatione, a q. 110. ad q. 115.

### CAPUT I.

#### DE EXISTENTIA ET NATURA ANGELORUM.

#### ARTICULUS I.

##### AN EXISTANT ANGELI?

1. *Nota I.* Angelus *vi nominis* idem sonat, ac missus vel nuntius: quippe cælestes spiritus sæpe mittuntur a Deo ad enuntianda vel Dei mandata vel mysteria; proin *officii* nomen est, non *naturæ*, S. AUG. teste (in Ps. 103. serm. 1. n. 13.). Inde est, quod etiam Sacerdotes verbi divini præcones, quin et Unigenitus Dei, in Scriptura *Angeli* appellantur. Porro nomen angeli *latius* ex Scripturæ ac Ecclesiæ usu accipitur pro omni et qualibet substantia spiritali completa, hominibus quidem superiore, Deo autem inferiore, quam Philosophi a sua principali operatione *Intelligentias*, alii *Dæmones*, sive *Genios* compellarunt, sive boni, sive mali essent. *Strictius* autem usurpatur pro solis angelicis spiritibus infimum ordinem constituentibus.

Angelus *secundum naturam* definitur, *Substantia creata completa et pure spiritalis*: τὸ *substantia* habet rationem generis, proximi quidem respectu Dei, remoti autem respectu animæ rationalis ac hominis: per τὸ *creata* differt angelus a Deo, qui est ens a se et increatum: per τὸ *completa* differt ab anima, quæ est pars hominis essentialiter incompleta: per τὸ *pure spiritalis* differt ab homine, qui ex corpore et anima componitur.

2. *Nota II.* Angelos *existere* negarunt 1<sup>o</sup>. nonnulli Veteres Philosophi.